

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Exercitatio theologica de fragrantia Christi quam ex 2.  
epist. ad Corinth. 2, 15.16**

**Buddeus, Johann Franz  
Naumann, Tobias Gottfr.**

**Ienae, 1712**

**VD18 11426357-001**

§. I.

[urn:nbn:de:bsz:31-130634](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130634)

SECTIO SECVNDA

*Dogmatica.*

§. I. Vox euangelii, eiusque ministerium est *εὐωδία χριστοῦ τῷ Θεῷ*; *fragrantia bona Christi, Deo & hominibus.* Vocabulum ipsum *εὐαγγέλιον* egregie respondet voculae *εὐωδίας*. Hanc enim indicare *oblectationem quandam singularem*, supra ostensum est pluribus. Et hoc ipsum euangelium, bonum ac laetum est illud nuncium, quod refert *εὐδοκίαν* insignem atque gratuitam; quam supremum Numen erga miserimos fouet homines. Quam ob rem etiam vocatur *εὐαγγέλιον τῆς χάριτος Θεοῦ*, *Act. XX. 24.* Gratiam enim Dei nobis per Christum conciliatam, & annunciat, & offert, imo vrget, vt tempestiue, quae oblata ostendit, amplectamur. Huc refer, quando Paulus dicit: euangelium esse *τὸν λόγον τῆς καταλλαγῆς*, verbum reconciliationis *II. Cor. V. 19.* nulla prorsus alia ratione, quam vt, in quam euangelium consistat, quaeque eius summa, & finis sit, declaret. De reconciliatione nempe per Christum facta, certiores nos reddit, & quomodo ea fruamur, nobis ostendit.

Ἐυαγγέλιον dicitur vi vocis, *laetum nuncium*, adeoque idem significat, quod Hebr. בשרה a verbo בשר quod Io. Cocceius bene vertit: *bono nuncio quasi reficere & recreare*. Pari ratione etiam εὐωδία explicari & usurpari poterit, dum inter alia *bonam* denotat *famam* longe lateque diuulgatam, instar odoris, quem unguentum effusum exhalat. Haec bona fama quid quaeso aliud est, quam bonum ac laetum nuncium, quod vel de me ipso, vel de alio quopiam huc illucue fertur. Hinc facile appellationis ratio ob oculos versatur. Euangelium est bona ac iucundissima de Christo fama, quae de gratia Patris sui, quam promeruit, de satisfactione sua, hincque enata gratuita peccatorum remissione per fidem impetranda, vitaeque aeterna, per totum orbem est sparsa; non dubia quidem & anceps, uti fama saepius falsa & dubia est, cui nulla fides debetur; sed certissima est, ac extra omnem dubitationis aleam posita.

§. II. Varia de vocabuli εὐαγγελίης etymo & acceptione inter theologos usitata, adferri possent; quia autem haec ubiuis obuia, & ex usu apud profanos scriptores frequenti

a B.